

## DE DEO SOCRATIS

I. Plato omnem naturam rerum, quod eius ad 115  
animalia praecipua pertineat, trifariam diuisit  
censuitque esse summos deos. Summum, medium et  
infimum fac intellegas non modo loci disclusionem  
uerum etiam naturae dignitate, quae et ipsa neque  
uno neque gemino modo sed pluribus cernitur.  
Ordini tamen manifestius fuit a loci dispositione.  
Nam proinde ut maiestas postulabat, diis inmorta- 116  
libus caelum dicauit, quos quidem deos caelites  
partim uisu usurpamus, alios intellectu uestigamus.

Ac uisu quidem cernimus

... uos, o clarissima mundi  
lumina, labentem caelo quae ducitis annum;

nec modo ista praecipua : diei opificem lunamque,  
solis aemulam, noctis decus, seu corniculata seu 117  
diuidua seu protumida seu plena sit, uaria ignium  
face, quanto longius facessat a sole, tanto largius  
conlustrata, pari incremento itineris et luminis,  
mensem suis auctibus ac dehinc paribus dispendiis  
aestimans ; siue illa proprio *sed* perpeti candore  
\*pollens\*, ut Chaldaei arbitrantur, parte luminis  
conpos, parte altera cassa fulgoris, pro circumuer-